

8.51.12

*Idem A A et CC. Quintianae.*

Ab hostibus capti et non commercio redempti, sed virtute militum nostrorum liberati ilico statum, quem captivitatis casu amiserant, recipiunt: servi autem dominis suis restituentur: receptos enim eos, non captos iudicare debemus, et militem nostrum defensorem eorum decet esse, non dominum.

*S. V k. Ian. AA. cons.*

[a. 293]

8.51.13

*Idem AA. et CC.*

Si is, qui te ab hostibus ingenuam captam commercio redemit, sibi matrimonio coniunxit, dignitate nuptiarum et voto futurae iustae subolis vinculo pignoris tibi remisso redditos natales pristinos rationis est.

*S. V id. Mart. CC. cons.*

[a. 294]

8.51.14

*Idem. AA. et CC. Severae.*

Ius postliminii filiam rebus humanis exempta matre, dum in servitutis ipsa necessitate per captivitatis causam fuit, eventu purgato vigore, ad eius legitimam invitat hereditatem, nec tibi medii temporis fortuna, quominus res maternas successione quaesitas persequi possis, iniuriam fieri patimur.

*S. XVI k. April CC. cons.*

[a. 294]

8.51.15

*Idem AA. et CC. Macrotraulo.*

Is, qui liber constitutus captus ab hostibus commercio redimitur, et antequam restituatur pro eo data pecunia, successionis iura sibi vindicare favore ingenuitatis potest, ut ex ea possit pretium pro se datum exsolvere.

[a. 294]

8.51.16

*Idem AA. et CC. Basilidae.*

Commercio redemptae filios, licet ex servo medio susceptos tempore, origini ingenuitatis matris iuxta ea quae benigne placuerunt reddi convenit.

*S. V k. Sept. Viminacii AA cons.*

[a. 293]